Cruciger Caspar

Eximia pietate
virtute et doctrina
praedito viro d.
viro Theodoro
concionatori
in Ecclesia Nori-
bergensi, amico
et fratri suo
cariss.

8 Iulij 1544

S. D. Quod incolumis et aliquanto levior ex
thermis redisti, gaudeo, et opto ut prosint tibi
lavationes istae. Ego interdum nescio quas
punctiones in extremis digitis et plantis pedum
sentio, de quibus te expertum consulere velim
num mihi metuendum sit a podagra, quae
cum olim ad me immigravit, non existimo
eam satis causae habere ut apud me sibi locum
quaerat. Nam vino domi meae iam non multum
utor, nec cibo lautiusculo vivere. Noster
D. Philippus, ut te iam ex fama cognovisse
opinor, a calculo infestari coepit, sed nunc
dei beneficio sine diuturnis cruciatibus
emisit aliquot scrupulos, iam melius habet
sed haeret adhuc aliquid ex illis domesticis
et maximis vulneribus. De quibus tu quoque
scribis, quae ~~[illegible]~~ illum satis acerbe excru-
ciarint, quorum speramus a deo medicinam
aut saltem mitigationem. De Bomgartnero
non dubito quin omnes Ecclesiae nostrae
una in moerore sint, et ~~[illegible]~~ pios et
ardentib. votis pro illius salute orent,
quemadmodum et hic facimus. Quare ne
illud ambigamus, Christum liberatorem nostrum
affici ~~[illegible]~~ hominis optimi et vere pii cala-
mitate, et curae ei esse et illius vitam et

Cruciger Caspar Reformator